Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1615

Quelle:
Copyright:

Coel. Sedulii Operis Paſch. L. IV. exeunte, videlicet a V. *Gnarus item Dominus* &c. ad V. *Aethereas ſubvectus* &c. qui collati cum *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 471. nihil emendationis offerunt praeter verſum:

Rite toris; an corde Petrus ſe diligat alto,

quem Noſter rectius ſcribit

— an corde Petrus ſe diligat, an non.

P. 2. erafis praecedentibus reſtant ſequentia Diſticha:

Primus ad yma ruit magna de luce ſuperbus,
Sic homo cum tumuit, primus ad yma ruit.
Vnius ob meritum cuncti periere minores.
Saluantur cuncti vnius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua ianua leti.
Ex qua uita redit, ſola fuit mulier.
*Frater iniquus erat, iuſtum * qui perculit olim.* * Abel.
Dampnator chriſti frater iniquus erat.
*Tranſitus * ille monet, quid prima amiſit origo.* * Enoch.
Quid uentura notent, tranſitus ille monet.
Archa leuatur aquis, homines ne perderet equor.
*Ne pereant homines, archa * leuatur aquis.* * Chriſtus.
Sume pater populos pro nati vulnere cunctos.
Cum tradis chriſtum, ſume pater populos.
Hoſtia ſumma patris tacitis ſignata figuris
Quam reſerat chriſtus, hoſtia ſumma patris.
*Claudicat ecce videns, * dominum dum preualet heres,* * Jacob.
Aſpera gens chriſtum, claudicat ecce videns.
*Repulit ille * famem diſtrictus crimine fratrum* * Joſeph.
Venditus eſt chriſtus, repulit iſte famem.
*Perfide * corde peris, dum vaſtant omnia plage.* * Pharao.
Dum ceſſant plage, perfide corde peris.
Agnus ab hoſte ſacer reuocauit ſanguine patres.
Sanguine nos refert agnus ab hoſte ſacer.
Obruit unda nephas populo gradiente per equor
Nunc mundi populis obruit unda nephas.

Reliqua, quae fortaſſis omnes V. T. figuras *Chriſto* adplicabant, periere. An haec *Hildeberto Cenom.* tribuenda?

CCCCXIX.